



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,
tum Seculare**

Cabassut, Jean

Lugduni, 1698

VIII. Simoniacorum pœnæ canonicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62355)

CAPUT VIII.

Simoniacorum pœna canonica.

I. **P**œnæ quas simoniacis Canones infligunt, tres distinguuntur in Extravaganti *Cum detestabile*, de simonia. Prima est censura, nimirum excommunicationis lata sententia, quæ ipso facto incurritur à particularibus; & suspensionis ab Ordinum exercitio, cum utriusque pœnæ reservatione ad supremam Sedem. Secunda est invaliditatis actus simoniacè facti, quod spectat ad Beneficii aut pensionis Ecclesiasticæ collationem, ut teneatur sic provisorius Beneficio quamprimum aut clericali pensione se absolute abdicare, omnesque perceptos à se fructus restituere. Tertia est onus restituendi pretium, de quo infra tract. 6. tit. 9. Mediatores item simoniæ eadem censurâ Papæ reservatâ ligantur, si realiter completa simonia fuerit in Beneficio, vel in Ordine, aut etiam in Religionis ingressu, sicubi viget Extravagans *Sanè*, de simon.

II. Porro simoniacorum pœnæ canonica, præsertim verò excommunicatio, non habent locum nisi ex quo simonia ab utraque parte completa fuerit reipsa, hoc est ut ex una parte datum fuerit pretium simoniacum, sive in totum, sive etiam ex parte; & contributa fuerit altera ex parte res spiritualis ac sacra. Unum enim horum sine altero minime sufficit ad hoc genus pœnæ. Ita docent Gomezius in regul. Cancellariæ de trien. quæst. 12. Navarra Manual. cap. 23. num. 104. ambo asserentes hanc esse praxim & stylum Romanæ Curia & Rotæ, ut Beneficium simoniacè receptum non vacet ipso iure, & qui sic provisorius fuit, non sit excommunicatus; & si tamen Sacrum celebret, non evadat irregularis quandiu pollicitum pretium fuerit saltem pro parte exsolutum, quanvis ob eam culpam justè possit iudicis sententiam excommunicari, aut privari malè parito Beneficio. *Interim* quoque qui tot annos Romæ docuit & scripsit, affirmat hanc pariter esse Romanæ Pœnitentiariæ praxim. Zerola quoque parte 1. verbo *Simonia*, num. 7. & Bonacina tract. de simon. disput. 1. quæst. 7. puncto 2. num. 25. alique communiter docent, posse in conscientia retineri Beneficium ab eo qui ut illud obtineret, pactus fuerat de pretio, quod tamen realiter non solvit, neque promissis stetit.

III. Si quis bona fide Beneficium obtinuit alieno interventu, ignorans simoniam pro hac re ab altero commissam, juyabitur Beneficio triennialis possessionis pacificæ, si integro triennio hujus simoniæ nomine non fuerit

aut pari ratione Beneficium innocenter per alioſum à ſe ignoratam ſimoniam, aut per ſimoniacum Collatorem, ſed ut talem à ſeipſis ignoratum ſuſceperint, ut Ordines quidem, cum ſint inamovibiles, retineant, eiſque uti permittit: ſed Beneficium, cum ſit amovibile, ſimpliciter reſignent. Idque aperte ſignificatur hiſ Concilii verbis, *Postquam eas omnino dimiſerint, ſed mox ſinceriore collatione de novo reſumant.*

I V. De penſione clericali certum eſt quidem materiam eſſe ſimonie ei qui pretio illam in alterum transfert, aut per anticipatas ſolutiones privata authoritate extinguit. Sed controverſia eſt inter Doctores, utrum in hiſ incurrat excommunication? Reſpondeo cum Navarra cap. 23. n. 111. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 55. num. 22. Leſſio lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 137. Reginaldo lib. 23. cap. 12. num. 175. cæteriſque communiter, non incurri cenſuras in penſionibus. Non enim pœnæ ſunt ampliandæ ultra caſus à jure expreſſos, ſed potiùs reſtringendæ, cap. *Pœnæ*, de pœnit. diſt. 1. cap. *Odia*, de reg. jur. in 6. l. *Aut facta*, §. ult. D. de pœnis. Et nomine Beneficiorum non comprehendì ſolent penſiones temporales ſuper Beneficiis impoſitæ.

V. Item quaeritur de Prælaturis Regularium, ut ſunt Abbatum, Priorum, Guardianorum, Provincialium, aut Generalium, quæ non conſiſtunt in commiſſione ad nutum revocabili, ſed per electionem aliâmvè providendi rationem alicui tanquam munus ordinarium deferuntur, utrum ſimoniam in hiſ completa & realis, perinde ac in Beneficiis inducat nullitatem actus, obligationem ad dimittendam Superioritatem, & excommunicationem Papæ reſervatam. Reſpondendum ad hæc ſingula affirmativè, non modò quia eadem eſt ratio quæ in Beneficiis, aut quia hæ quoque Superioritates haud improprie inter Beneficia computantur; ſed etiam quia Extravagans Cum *deſtabile*, de ſimoniam, hæc perſpicue decernit hiſ verbis: *Per electiones verò, poſtulationes, confirmationes, provisiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas ſimoniacâ contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Prioratibus, Officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis Beneficiis.* Eademque Conſtitutione Paulus Papa II. ſimonie realis crimen in hiſ commiſſum à quocumque, etiamſi Cardinalitiâ, vel Regali dignitate fulgeret, reſervat ſolius Apoſtolici Culminis abſolutioni. Ita docent Caietanus in Summula, verbo *Excommunication*, cap. 72. Armilla verbo *Excommunication*, cap. 59. Navarra cap. 23. num. 111. verſic. *At nullus ſimoniacus*, & cap. 27. num. 106. Suarez de cenſuris, diſputat. 22. ſect. 5. num. 24. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 137. Qui omnes aſſerunt, eſſe hanc Conſtitutionem quoad ſupradicta, & quoad eaſdem pœnas excommunicationis, quas declarat incurri ab hujus ſimonie mediatoribus; ſimulque aſſerunt illas Regulares Prælaturas inter Beneficia rectè computari: verba verò Extravagantis *Officiis Eccleſiaſticis*, ſi de aliis quàm illis electivis aut fixis Beneficiis, ſed in ſignificatione ſtrictiori & communi intelligantur,

X x x 3 non

non esse usu & consuetudine recepta. His consequenter eadem Authores qua parte Extravagans illa districtè injungit iis qui rescripserint hanc factam alicubi simoniacam pravitatem, ut admoneant hujus facti Summum Pontificem, asserunt non esse usu receptam, nec ad id obligari ullum, nisi forte sit Curialis Sedis Apostolica. Eadem Extravaganti declarantur omnes qui Beneficia aut Regulares Prælaturas per simoniam adepti fuerint, sub amari suæ periculo adstricti obligatione fructus omnes quoscunque inde perciperint restituendi. His assentitur Bonacina tract. de simonia, disp. 1. quæst. 7. §. 2. ubi hanc materiam multò solidius pertractat quàm in alio tractatu suo de Censuris in particulari, disp. 2. q. 3. punct. 24. ubi opposita quædam concludit contrarius sibi, & allegat Doctores quos ego exactè legens adverti planè oppositum docere quàm ipsis Author hic attribuat in hoc posteriore tractatu. Nec id vitio vertendum viro erudito, & de Ecclesia optime merito.

V I. Extravagans 1. de simon. inter communes, declarat ipso facto incurri à singularibus personis dactibus & accipientibus, vel exigentibus pastus, jocalia, pecuniam pro Religionis ingressu excommunicationem à Capitulis augem & Conventibus suspensionem ipso facto incurri, cuius utriusque vinculi solvendi extra mortis articulum potestas sit penes solum Romanum Pontificem. Sed hanc poenalem Constitutionem non recipi docet ipsa ejusdem Extravagantis Glossa, & quamplurimi veteres & recentiores, quotquot docent excommunicationes de simonia ad solas restringi Ordinationes & Beneficia.

V I I. Simonia in materia Beneficii omni ex parte completa facit rem inhabilem ad idem Beneficium. Disputatur an privet aliis pariter Beneficiis antea ritè obtentis? Item an reddat incapacem ad alia in futurum obtinenda? Quoad Beneficia legitimè antea obtenta tenendum est non vacare per simoniam supervenientem; nulla enim talis poena in Jure hac in parte exprimitur, neque fieri in poenalibus permittitur extensio ab una delicti specie in alteram, juxta textus suprà citatos, num. 4. Ita concludunt Suarez de religione, tom. 1. lib. 4. cap. 56. num. 19. & cap. 58. num. 3. Avila de censuris, p. 3. disp. 5. ad fin. Bonacina de simonia, disp. 1. quæst. 7. puncto 2. difficultate 1. num. 1. & 2. ubi pariter hanc excludit poenam ab anterioribus actibus ad acquirendum Beneficium ordinatis, ut electione, præsentatione. Aded ut si electio, aut præsentatio pura sint à simonia labe, sed subsequens collatio facta sit per simoniam, ipsa quidem collatio sit nulla & invalida, sed præcedens tamen electio & præsentatio validæ pernullatenus opus sit nova electione, vel præsentatione, sed solum nova collatione.

V I I I. Idemque Bonacina tract. de suspension. in particul. disp. 3. quæst. 1. punct. 5. n. 13. & inter Canonistas Felinus in cap. *Inspuatim*, de simon.

simon. Abbas in cap. *Cum Clerici*, de pactis num. 2. Ugolinus de simon. tab. 1. cap. 19. & Gallicani Doctores Gregorius Tolofanus instit. benefic. cap. 26. num. 2. Papo tom. 1. Notariorum, lib. 2. pag. 90. Pastor lib. 3. de benefic. tit. 18. num. 17. Bengus de simon. in benefic. num. 43. secus de Beneficiis post simoniam acquisitis judicant. Cum enim admittant nullatenus vacare antea legitime acquisita Beneficia, consentiunt tamen quæcunque acquiruntur post excommunicationem Beneficia, necdum obtentâ dispensatione ac rehabilitatione à Summo Pontifice, nullatenus teneri posse, eorumve fructus percipi, sed perceptos esse restituendos; Beneficia verò ipsa vacare ipso jure, Extrav. *Cum detestabile*, de simon. junctis Constitutionibus Pii IV. & Pii V. quas in hoc Regno usu receptas testatur ibidem Pastor. Junge his can. *Erga simoniacos*, 1. quæst. 1. quo statuitur simoniacos esse omnino deponendos. Ratio petitur ex incapacitate quam producit præcedens simonia.

I X. Verumtamen sublato per absolutionem illo incapacitatis obice, tum demum debite absolutus capacitatem recuperat ad nova Beneficia, juxta Martinam Navarram consil. 91. num. 5. & consil. 92. de simonia: & Petrum Navarram lib. 2. de restitutionib. cap. 2. num. 435. & seqq. Suarez de Religione tom. 1. lib. 4. cap. 58. ad fin. & plerisque alios dicentes ipsam Pii V. Bullam nec in ipsa Italia esse receptam quoad istam quam continet clausulam: *1. perpetuo sit inhabilis ad quacunque alia Beneficia obtinenda*. Sed ne huic Bullæ præjudicium fiat, nego eam esse intelligendam de interno, seu conscientie foro, secundum quod semel debite absolutus pristinam resumit capacitatem ad Beneficia futura, quanvis omnino excidat à Beneficiis vel simoniace, vel durante simoniaca labe acceptis, nisi specialiter cum eo dispensatum sit à Suprema Sede. Quod ergo Bulla hæc de solo externo seu contentioso foro sit exponenda, perspicuum faciunt hæc ejus verba: *Quicumque detestabile crimen simoniace pravitatis commisisse convictus fuerit*. Nec ullatenus obstat Bonacina objectio ista, quod in dispensationibus Romanæ Pœnitentiariæ solet plerumque apponi clausula dispensans occultos quoscunque simoniacos circa istam ad futura Beneficia inhabilitatem. Stylus enim Scribarum & Notariorum vim juris nullam habet. Et sæpenumero clausulæ superflue apponi solent, vel ad excludendos injustos litigantium cavillos, aut ad sedandos cumulatiùs hominum scrupulos, aut ad largius captandum lucrum ab iis quorum requisitioni conceditur expeditio.

X. Quod attinet ad simoniacam in Beneficiis confidentiam, sciendum primò istiusmodi confidentiam esse conventionem, sive tacitam, sive apertis verbis expressam, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum posthac in aliam certam personam transferat, aut Beneficii fructus ab alio percipi sinat. Pius Papa IV. multa constituit ad istam reprimendam perversitatem, quæ successor ejus Pius V. confirmavit & ampliavit per Bullam anni 1569. quæ

quæ incipit *Intolerabilis*. Hic observandum cum Navarra Manual. cap. 23. num. 108. & 109. his duabus Constitutionibus nihil prohiberi quod jam antea non fuisset prohibitum; atque ita non esse illicitam aut vetitam confidentiam, quâ quis sine ulla pactione confidit Collatorem collatum renunciatum Beneficium ei cui renuncians conferri desiderat, vel supplet; aut Patronum nullo adhibito pacto presentaturum ad id cui renunciat Beneficium. Eademque ratione non est prohibitum conferre Beneficium, vel procurare citra pactum ullum ut conferatur alicui ea intentione & spe, quod is aliquando cedet in favorem alterius à se nominandi, vel sui ipsius conferentis aut procurantis; dummodo nullum pactum, nullusque modus, nullaque conditio adjiciatur. Quæ cum licita sint attentio jure antiquo, nullatenus evasere illicita per has geminas Constitutiones. Ita ferè loquitur Navarra, cui reliqui suffragantur Doctores. Nulla itaque superaddita prohibitione novâ, tantum novæ imponuntur, & graves quam olim pœnæ ab utroque Pio infliguntur reis simoniacæ confidentiæ.

XI. In primis enim duabus his Constitutionibus utriusque Pii statuitur, ut simul atque aliquis accipit confidentiariè Beneficium, antequam promissa impleat, sit jam inde ipso jure excommunicatus, adeoque collatio ei facta nulla sit ipso jure, teneaturque renunciare Beneficio, & restituere quoscunque de illo fructus perceperit: cum tamen suprâ viderimus has pœnas non incurri in simonia beneficiaria, nisi postquam utraque ex parte simonia completa fuerit. Præterea reservantur solius Apostolicæ Sedis collationi & dispositioni Beneficia collata & accepta in confidentiam nondum ex utraque parte completam: cum tamen simonia realis Beneficiaria, etiam ex utraque parte executioni mandata, non auferat Ordinario potestatem conferendi, neque reservet Papæ. Potest enim simonia utrimque completâ simoniacus renunciare in manus Ordinarii; hic verò sic renunciatum Beneficium conferre cui libuerit. Quare monent providè Navarra, Lessius, aliique, ut sibi caveant qui Beneficia per confidentiam vacantia accipiunt per Ordinarios collationem; non enim jure illa possident. Sed tamen in Galliæ Regno nulla hujus rei habetur ratio, ejusque perpetua inobservatio jus habet præscriptæ consuetudinis. Insuper cum paulò antè docuerim simoniam beneficiariam non privare ipso jure aliis Beneficiis antea legitime obtentis, neque inhabilem facere ad Beneficia post absolutionem obventura, secus evenit in confidentiariis; deperdunt enim Beneficia antea quæsita, & prorsus inhabiles fiunt ad futura in perpetuum, nisi specialiter hac de re cum eis dispensetur, saltem sicubi pars illa præfate Bullæ Pii V. recepta sit. Insuper fructus Beneficiorum per hujusmodi confidentiam acquiritorum, & pensionum confidentiariis constitutarum reservantur Cameræ Papæ ab ipso die collationis & constitutionis: quod est notandum (ut inquit Navarra) quo eis consulatur qui hac in re deliquerunt.

XII. Porro

XII. Porro Pape reservatam excommunicationem simul incurrunt resignans per confidentialem conventionem, & resignatarius, & mediator res, juxta Extrav. *Cum detestabile* 2. de simon. Ita censet Navarra cap. 23. num. 110. vers. *Undecimò quod mediator*: Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 26. num. 147. Stephanus Quaranta verb. *Simonia*, fol. penult. vers. *Est & alia pœna*. Licet enim Pii Constitutiones adversus confidentiam loquantur quoad incurrendas pœnas de solo recipiente; quia tamen confidentia est quædam species simoniæ in Beneficio, statuendum videtur, omnes hujus criminis reos & participes subjici pœnis generalibus, quibus à jure communi afficiuntur simoniaci circa Beneficia: pœnales enim novæ Constitutiones non abolent antiquas, nisi eis palam derogent. Secus tamen sentiendum circa Beneficiorum quorumcunque, aut pensionum vacationem. Hæc enim pœna non decernitur à jure communi & veteri contra resignantes, nisi ratione solius Beneficii per realem simoniam resignati: & aliunde Constitutiones Pii IV. & V. pœnas novas non superaddunt ratione confidentiæ, nisi contra solum illum qui per confidentiam prohibitionem recipit Beneficium, ut ex earum lectione perspicuum est, & speciatim ex verbis istis: *Omnes & singulos qui Beneficia aut pensiones hoc intercedente vitio receperint*. Itaque jacturæ cæterorum Beneficiorum atque pensionum & officiorum reliquorum, & inhabilitati in futurum perpetuæ soli subjiciuntur recipientes, non autem resignantes sub pactione confidentiali, aut ad id cooperantes. Verumtamen neque ista excommunicatio, neque cætera hæc expressæ pœnæ incurruntur ab illis qui Beneficia in confidentiam receperint, dummodò statim ad se reversi & resipiscentes celeri dimissione male accepti Beneficii sibi prospexerint, ut expressè decernit ipsa Pii V. Constitutio.

XIII. Altera nascitur difficultas ex verbis Pii V. circa materiam confidentialem, sic dicentis: *Etiamsi solâ dimittentis intentione receperit*. Et ibidem: *Conscientiâ tantum unius Partis*. Utrum recipiens Beneficium ab eo qui cum manifestata conditione ac intentione confidentiali sibi resignat, sed resignatarius non intendit recipere in confidentiam, incidat in excommunicationem aliasque pœnas præfatæ Constitutionis? Negant incidere Navarra loco cit. vers. *Sextò quod hæc Extravagans*. Suarez de censuris disp. 22. sect. 6. num. 18. Lessius d. cap. 35. dub. 26. num. 148. Rationem dant, quia mens Legislatorum in hac parte non fuit reddere illicita, & his pœnis subjicere illa quæ antea fuerant licita. Sed antea licitum erat tale recipere Beneficium sine consensu, & sine ulla significatione consensu ad illam confidentiam; ne scilicet resignans apertâ in contrarium declaratione repulsus, alium quæreret & inveniret qui pravæ ejus voluntati consentiret: atque ita utraque ex parte contra Jus Divinum graviter peccaretur, & transmitteretur id Beneficium ad indigniorem personam. Sed cum ad extirpandum confidentiarum abusum Papa diversas proferat

Y y

præsum

præsumptiones, ex quibus in externo foro judicari velit initam fuisse utrimque confidentialem pactiōem, jubet eam ob rem ut ubi confiteretur de prava offerentis intentione, conjiciatur pravam fuisse receptantis acceptationem: ideoque non dicit per hoc fieri mutuam confidentiam, sed censendam esse talem, hoc est ita præsumi velle in externo & contentioso foro. Nam in foro poenitentiae interiori non præsumptio, sed rei veritas à poenitente secundum propriam conscientiam prolata prævalet.

XIV. Omnes verò unanimi consensu Authores admonent istas simplices confidentiarum delicti præsumptiones in his Constitutionibus contentas referri ad forum duntaxat exterius. Et utique, ut monet Suarez, iste recipiens dici non potest quod Beneficium recipiat in confidentiam, supponendo ejus mentem ab ea intentione esse alienissimam, licet alter ei det in confidentiam. Nec malitiam confidentiae ex parte sua habet qui sic recipit, cum nec verbo, nec intentione, nec ipso facto annuat voluntati dimittentis; sed possit insuper apud Deum promereri ex pio affectu impediendi effectum confidentiae, quam offerens cum alio sibi consentiente completurus erat; modò, ut dixi, neque assensum, neque externam talis assensus significationem iste recipiens præbeat. Si verò præbuerit, quantum sic recipiens non intendat opere id exequi quod pollicitus fuit, hoc ipso peccavit mortaliter, suoque expresso actu se complicem effecit nefariae confidentiae. Atque in hoc solo Bonacina assentior docenti sic recipientem incidere in omnes hujus Constitutionis poenas, tum in tractatu de simonia, disp. 1. q. 7. §. 1. num. 4. tum in tractatu de censuris in particulari, disp. 1. q. 3. puncto 2. §. num. 5.

XV. Si objiciat quis, Ecclesiam de internis non judicare, & consensum intrinsecè malum non subiacere poenis canonicis, argumento cap. *Sicut simoniaci*, de simon. Respondendum cum Suarez & aliis, non puniri prædictum actum internum, sed effectum externum à pravitate actus interni procedentem. Quamvis autem dimittens confidentialiter Beneficium non minus peccet quam recipiens, non tamen pares cum recipiente poenas sustinet, quia tota gemina hujus Constitutionis severitas solos quos exprimit, recipientes perstringit, hac forsitan ratione, quia homines procliviores sunt ad recipiendum quam ad dandum.

XVI. Eisdem pariter subjicitur poenis hujusce geminae Constitutionis confidentiaria pensionis Ecclesiastica receptio, quibus & Beneficii, ut patet ex Bullæ Pii IV. verbis: *Omnes & singulos qui Beneficia, vel pensiones hac intercedente viro receperunt, vel quidquid tale admiserunt in futurum.*

XVII. Denique hic observa tres simoniacæ pravitatis casus inducentes privationem omnium quæ quis possidet Beneficiorum, & inhabilitatem ad futura recipienda. Primus occurrit in hac materia confidentiali. Secundus in simoniaca Summi Pontificis electione, ut statuit Concilium Lateranense sub Julio II. sess. 5. Tertius in simonia, per quam Examinatores

futuro

futurorum Parochorum aliquid accipiunt, sive antea, sive post examen, ut sanxit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. de reform. Docent verò Navarra consil. 32. de simonia, Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 26. n. 148. Laiman lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 73. & 74. in his omnibus non videri usu receptum, ut non teneatur quis sua Beneficia dimittere ante Judicis sententiam. De aliis Beneficiis antea canonicè acquisitis, aut de iis quæ postquam absolutus aliquis à censura fuerit, sine simoniaca, vel confidentiali culpa acquirere potuerit, alii viderint. At verò de simoniacè acquisitis, vel confidentiali culpà adeptis: itemque de illis quæ proveniunt quomodo- latenus admittenda est tanta laxitas, quam qui introduxerit, non video qua ratione à gravi & toti Ecclesiæ perniciosa culpa excusari possit. Tum quia Canones innumeri ab exordiis Ecclesiæ ad hæc nostra tempora constantissimè ita sanxerunt. Tum quia casuum atrocitas, & hominum propensissima cupiditas, quæ innumera in Sanctuarium Dei scandala invehit, his frenis & quasi repagulis necesse est ut coerceretur. Tum quia non adeo collapsa est Ecclesiastica disciplina, quin videamus ubique ferè ista à piis & peritis animarum directoribus ex officio, & ut ad æternam salutem necessaria poenitentibus præscribi: ipsosque poenitentes, quos verus & sincerus timor Dei urget, his bona fide præscriptis remediis canonicis obtemperare. Itaque prætexi non potest universalis in oppositum consuetudo: & ubi tam exitialiter cum Ecclesia Christi actum esset, ut talis existeret, & prævaleret consuetudo, omni ope collaborandum nobis foret, ut sanctissimis, & in rebus tanti momenti absolute necessariis Ecclesiæ regulis, quarum defectu Ecclesia Christi in speluncam latronum evaderet, pristina restitueretur auctoritas.



CAPUT IX.

De facienda restitutione rei simoniacè acceptæ.

- I.  Ut pretium accepit, sed rem spiritualement non tradidit, teneatur restituere, non quidem Ecclesiæ, vel pauperibus, id enim nullo jure constitutum est; sed eidem à quo accepit. Hic enim habet jus repetendi, quippe qui non dedit nisi sub conditione non adimplera, & ob causam minimè lequutam, neque pretio exequendam. Caietanus in Sum. verb. *Simonia*, Navarra in Manual. cap. 23. num. 104. Bonacina citans pro hoc Doctorum catervam, tract. de simonia, disp. 1. quæst. 7. punct. 3. diff. 1. n. 1. & 2.

Yyy 2

II. Pre